Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 877

Quelle:
Copyright:

fert *fol.* 86. donatus olim *Collegio Ducali in Wienna* a M. *Nic. de Dünkelspühl* continet ſequentia: I. *Incipit liber S. gregorii pape urbis rome regule paſtoralis Scriptus ad Johannem epiſcopum rauennat.* Initium: *Paſtoralis cure me pondera fugere* &c. ut ſaepe relatum. Opus integrum, lectio ſat ſincera, Capitum Elenchus nullus.

II. *fol.* 37. p. 2. *Incipit Mono-logyon. i. ſoliloquium Anſhelmi.* Ita quidem frons; ſed dixeris cum Poeta: *Frontis nulla fides.* Quatuor enim hic congeſtae ſunt Particulae, quarum Prima incipit: *Meditatio eſt frequens cogitatio* &c. et eſt *Hugonis de S. Victore* Opuſculum *de Meditatione*, prout extat edit. *Opp. Rothomag.* 1648. T. II. p. 284. f. Altera incipit: *Vita cordis amor eſt* &c. et conſtituit *Caput* VI. et VII. Libelli *de Subſtantia Dilectionis*, quem habes in *Append.* T. VI. edit. *Maur. Opp. Auguſtini col.* 71. f. pariter ex *Hugonis* Scriptis conſarcinatum. Tertia incipit: *Inſipientem doctus interrogas. Queris quid tibi ſit faciendum pro eo quod in habitu religionis opera digna tue profeſſioni non habes.* &c. Epiſtola eſt, docens, quomodo de peccatis dolendum et pravis motibus occurrendum ſit. Non reperta apud *Bernardum* et *Anſelmum*, niſi *Petri Bleſ.* vel *Damiani*, aut *Ivonis Carnot.* ſit, fortaſſis ad ipſum *Hugonem* pertineat, egregia et ἀνεκδοτος. Quartae demum initium eſt: *Loquar ſecreto anime mee* &c. unde rurſus pro *Anſelmo* habes *Hugonis Soliloquium de Arrha Animae* edit. *cit.* p. 223.

III. *fol.* 44. p. 2. *Probemium in proſlogyon anſhelmi.* Init: *Poſtquam quoddam uelut exemplum meditandi de ratione fidei* &c. Atque τὸ *meditandi* forſitan Scribam in errorem induerit, ut ſuperius *de Meditatione* Opuſculum pariter tribueret *Anſelmo.* Sequitur in *Cod.* Index *Capitum* idem, quem habuit *Gerberonius* in edit. *Pariſ. Opp. Anſelmi* 1721. f. in qua *Proſlogion* noſtrum legitur p. 29. a Codice vix quidquam abludens.

IV. *fol.* 48. p. 2. *Incipit euangelium Nychodemi.* Ita: *Factum eſt in anno nono decimo imperatoris Tyberii Ceſaris — hyſtoriatus eſt Nychodemus acta* &c. chronologica haec, quae in edit. *Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* P. I. p. 297. toti Narrationi poſtpoſita ſunt, tam in Exemplo, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 453. retuli, quam in Verſionibus *germ.* et in edit. *lat. f. l.* et *a.* f. quae ad *Auguſtam Vind.* et *Günth. Zeiner* pertinet, eam antecedunt. Exemplum praeſens ſiſtit in his verbis: *et per nequiciam iudeorum rurſus uiuere denegatum;* omnia vero non tantum dictione, ſed etiam rebus ipſis mire in diverſum abeunt, familiari της νοθειας argumento. Conſules nobis *Rufinus et Vellio.* Ad calcem adjecta *Epiſtola Pylati ad Claudium r.* quae incipit: *Nuper accidit quod et ipſe probaui* &c. et eſt *prima* apud *Fabric. cit.* p. 298.

in